



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 16. An occisor, vel mutilator tenetur restituere non solùm uxori &
liberis, sed etiam aliis, & creditoribus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

debet, non satisfacit utrique debito, solvendo uni, & non solvendo alteri, quod ei debet. Nisi tamen hæredes occisi contenti sint pœnâ talionis, ut plerumque solent, si sint nobiles, ac divites; nam restitutionem remittere possunt.

Resp. II. Ordinariè læsor nil tenetur restituere pro impensis funeris; nam cum aliquando faciendæ fuerint, nil damni ex hac parte illatum est; nisi fortè propter accelerationem, eò quòd citius istæ impensæ fieri debuerint, ex quibus adhuc aliquid lucri fieri potuisset; vel nisi funus factum sit in alieno loco, ubi majores sumptus quàm domi fieri debuerunt, nam omne lucrum cessans, & damnum emergens compensari debet.

Q. 16. *An occisor, vel mutilator tenetur restituere non solum uxori, & liberis, sed etiam aliis, & creditoribus?*

Resp. I. Si occisus, vel mutilatus aiebat uxorem, & liberos, vel parentes ex quæstu quem faciebat, læsor tenetur eos alere. *Est communis.* quia tantumdem damni illis injultè intulit, per occisionem injustam, impediendo, ne alerentur ad hoc homine determinatè, nempe marito, Patre, vel Filio. Imò ad id tenetur, etiamsi læsus omnia, quantum potest, occisori remiserit; quia hæc obligatio oritur ex injuria talibus illata, quæ non potest nisi ab illis remitti. Et læsus non potest validè cedere Jure, quod

quod habet uxor ut à marito, liberi ut à parentibus, parentes ut à filiis alantur, cùm fundetur in specialissimâ conjunctione, & speciali debito ad invicem. *De Lugo, & alii.*

Dixi, *ex questu*, nam si aiebat ex bonis, quæ extant, & sufficiunt ad eos alendos, occisor non tenetur eos alere, sed solum alia omnia damna compensare.

Resp. II. Occisor tenetur alere eos, quos occisus determinatè aiebat ex liberalitate, si probabiliter in posterum aliturus erat, & quamdiu erat aliturus. Sive tenetur illis restituere secundum æstimationem spei, quam habebant de alimentis ex liberalitate occisi percipiendis. Ita *S. Bernardin. Vasquez, Turrian. Azor dicens esse communem, & alii multi contra multos.* Quia ipsis fuit causa injusta talis damni, & fecit injuriam, violando Jus, quod habebant, ne viâ injustâ impedirentur ab alimentis accipiendis à tali homine. Quilibet enim Jus rigorosum habet, ne per actionem injustam impediatur à beneficio alterius. Ergo sicut qui per vim in alium illatam eum ex quocumque motivo impedit, ne tibi donet aliquid, tenetur tibi restituere. Ita, &c. Et verò actio exterior, quæ est contra Justitiam, si fiat ex odio, & animo nocendi, est etiam contra Justitiam, si fiat ex alio motivo, cùm sit per se injusta.

Resp. III. Occisor tenetur restituere creditoribus occisi, quantum occisus probabiliter iudicio prudentum soluturus erat, si bona eius
extans

extantia non sufficiant ad debita omnia solvenda. *Ita multi.* Quia occisor per illam injustam occisionem causa fuit, cur isti creditores damnum passi fuerint, & fecit eis iniuriam, violando Jus, quod habebant, ne adimeretur debitori facultas iis solvendi, & ne impedirentur sine justa causa à receptione debitorum.

Id tamen, quod creditoribus restituetur, detrahendum erit ex iis, quæ hæredibus sunt restituenda; cum tantò minùs ex bonis occisi post mortem eius naturalem accepissent. Quòd si hæredibus omne lucrum cessans, & damnum emergens restituerit, nihil debet creditoribus, quia hi debent petere solutionem ab hæredibus.

Idem dic de mutilatore ob eandem rationem.

Not. Dum læsus, antequam moreretur, dixit, se remittere iniuriam, ac mortem occisoris; id intelligi debet quoad odium, ac rancorem, ut lege charitatis tenetur, vel etiam quoad actionem, ac pœnam: non autem quoad restitutionem damnorum realium inde secutorum, nisi hanc clarè exprimat: nam remissio restitutionis non est necessario connexa cum depositione odii, & remissione pœnæ, nec ad eam obligatur læsus. Imò etiamsi hæc damna expressè remittat, non videtur valida esse remissio respectu creditorum, & uxoris, ac liberorum quoad alimenta, quæ tenebatur

iis præbere; nisi bona relicta ad eos alendos
sufficiant; quia non potest cedere Jus alio-
rum.

Q 17. *An debet aliquid restitui pro vita, mem-
bro, cicatrice hominis liberi?*

Resp. Certum est 1. Cùm per iniustam occi-
sionem, vel mutilationem illata sit iniuria non
solum realis, sed etiam personalis, quæ est vera
offensa, ac contemptus personæ, teneri læso-
rem ad satisfactionem pro ea, per significatio-
nem doloris, petitionē veniæ, aliâq; submissio-
nis signa apta ad placandum læsum, si adhuc
vivat: nam omnis iniuria tolli, ac resarciri
debet ex Justitia, quantum potest. Quòd si
conditio lædentis hæc non patiatur, & læsus
placari possit per satisfactionem pecu-
nariam, ad hanc tenetur lædens saltem ut
quoddam est submissionis, ac doloris signum,
& animi placandi medium. Quemadmodum
si per pecuniam posset, vitam, vel membrum
restitueret, teneretur ex Justitiâ eam in hunc
finem suppeditare. 2. Lædentem teneri in con-
scientiâ solvere multam pecuniariam à iudice
impositam in pœnam: nam Iudex habet Jus
puniendi iniurias, & sententia iusta obligat.

Sed controversia est, an præcisè pro vita,
membro, &c. Pecunia spontè restitui debeat?
Alii asserunt probabilius; quia omne dam-
num restitui debet eo modo, quo id fieri po-
test. Negant alii, eo quòd nemo tenetur resti-
tuere